

096

094

100

Iani. Quaelibet autem moschea habet unum Soqui et plures Vecten,
secundum moscheae solemnitatem.

090

Porro occupatio sacerdotum non est circa curam animarum
in audiencia confessionum et ministracione sacramentorum et visi-
tatione infirmorum vel sepultura mortuorum, nec habent curam
(B) multam de moscheis cum reliquiis et paramentis et sacrorum
vasorum et altarium, de quibus omnibus nihil habetur apud eos,
nec possunt pollui eorum tempa, nec perdere sanctitatem, quam
non acceperunt, sicut nec sacerdotes ordines aliquos sacros habent,
sed committitur eis cura moschearum, qui doctiores et honestiores
reputantur et illa commissio spectat ad patronum moscheae. Nul-
lam enim differentiam sacerdotes eorum a communi populo nec
ecclesiae eorum a domibus communibus habent. Orationum nume-
rum statutum omnibus sicut alii complent etiam laborando; non
vacant meditationibus, nec studio litterarum, sed solatio uxoris et
filiorum et communis familiae, jumentorum quoque et possessionum
mercantiae, usuris, venationibus et hujusmodi, sicut alii, vacant.

105

Officium Soqui est, in moschea sextis feriis praedicare et
consilia poscentibus dare. Officium autem Vecten est, in turribus
lampades accendere, in moschea et horis statutis professionem fidei
eorum in turribus proclamare. Officium vero Alhages, qui et
Nefes Ogli et Czaknuttar et multis aliis nominibus vocantur, se-
cundum differentiam status eorum est, circumire patriam et exempla
et verba hominibus praebere eosque in amore legis Machometi
solidare. Hoc autem facientibus favet diabolus operibus eorum
permittente Deo in damnationem infidelium, et in tribulationem
ac tentationem fidelium. Nam per eos inaudita et admirabilia ac
supernaturalia signa fiunt, qualia in Christianismo umquam facta
legimus, tantaque potentia diaboli est in eis, ut videantur potius
diaboli incarnati, quam homines. Et de his mendosis, vanis falsis-
que signis etiam dixi supra fol. 91. a et praecedenti. Ad tantam
namque perfectionem patientiae, vel potius defectionem, aliqui
eorum perveniunt, ut percussionibus, punctuationibus, stimulationibus
cum ferreis stimulis, incisionibus cum cultellulis, adustionibus,
minus moveantur, quam lapis insensibilis, et illi patientiam suam
venalem portant, eamque omnibus probandam exponunt. Alii ex
eis magnam praeferunt virtutem abstinentiae, quorum aliqui rarissime
comedunt aut bibunt. Aliqui autem, quod auditu horribile est,

085

145

045

195

Ende

Anfang

